



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. IX. De Iuliano Apostata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

viensis minime consentit *Hilarius*. Vnde & cum quibusdam aliis Episcopis traditur exilio. Inde apud *Ariminum* Synodus ab hæreticis congregatur. Ibi *Homo*
mouſion, quasi ignotum sermonem, & à Scripturis alienum, à fidei expositione decernunt, firmantes sibi sermonem nequam, & dicentes Soli Christo oportere credi, & non *Homo**mouſion* confirmari.

C A P. II X.

Liberius Papa traditur in exilium.

Igitur *Liberius Papa* traditur in exilium, & *Felix Diaconus* ejus, in locum ejus subrogatur ab hæreticis. Hierosolymis *Cyrillus Maximo* in Episcopatu succedit, aliquando in fide varians, aliquando in communione.

C A P. I X.

De Iuliano Apostata.

Per idem tempus *Constantius Imperator* vivendi finem facit; *Iulianus* vero succedit in regnum, bono usus principio & malo fine. Nam primo Clericus & Philosophus insignis, postmodum ad Idola convertitur. Et primo quidem pacificus relaxat Episcopos de exiliis, & benigne agit adversus nostros: Deinde persequitur & infert supplicia. Hic in odium Christi Iudæis permittit reparare templum Hierosolymis. Qui ex omnibus provinciis collecti, nova templi fundamenta jaciunt, quæ subito terræ motu corruunt divinitus, saxis ingentibus longe lateque dispersis. Et ne hoc casu crederetur factum, sequenti nocte in vestimenten-

stimentis cunctorum Crucis apparuit signum. Quo attonti miraculo, plurimi Christo crediderunt. Hic etiam Julianus ad cumulum nequitiae contra Deum, insigne Christi simulachrum, quod apud Cæsaream mulier à sanguinis liberata profluvio collocaverat, satis impudenter deponit, suamque eodem loco collocat Imaginem, quæ igne de cœlo cadente postmodum fulminata est. Caput cum cervice una parte in terram est dejectum, reliqua pars hactenus ad judicium fulminis reservatur. Tunc vero Pagani imaginem Christi confregerunt, quam postmodum Christiani recolligentes, recondiderunt in ecclesia. *Ex Concilio apud Alexandriam.*

C A P. X.

Concilium Alexandrinum de Spiritu Sancto.

Interea congregatis apud Alexandriam paucis numero Confessoribus, licet fidei merito multis, ad sedandas hæreticorum procellas, tractatur, quibusdam eorum ad rigorem ecclesiæ dicentibus, non debere eos recipi in sacerdotium, qui se utcunque contagione hæretica maculaverant: aliis vero ad compassionem promulgantibus, non debere negari aditum, ab inveterato errore perfidiæ redeuntibus. Additur quoque in illo Concilii decreto plenior de Spiritu Sancto disputatio, ut ejusdem substantiæ ac Deitatis, cuius pater & filius, crederetur, nec quicquam prorsus in Trinitate aut creatum, aut inferius posteriusve

N

riusve